



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 70. Novum odii argumentum Belgarum adversus Albæ Ducem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

Sæcul. XVI.
A.C. 1569.

stylobatæ latus opilio visebatur cum ovibus ad pascua tendens, lupis, & leonibus ad ejus conspectum diffugiens: insuper ibi videre erat bubones, ac vespertiones, qui avolabant ad auroræ surgentis, & luce sua pestes illas discutientis splendorem, ubi pariter expressa legebatur hæc inscriptio Græca: ΑΛΕΙΞΚΑΚΟC ΗΝC, quæ latine ita sonat, *pellens aurora malum*. Ad sinistrum latus inscriptum erat, *Deo Patrum Nostrorum*: paulo autem inferius, *Pietas*, ubi addita erant plura trophæa, & instrumenta bellica victoriam significantia. Denique infra ipsam statuam adscriptum erat: *Joselingi opus ex aere captivo, seu ex belli tormentis hosti ereptis confectum*.

§. LXX.

Novum odii argumentum Belgarum adversus Albæ Ducem.

Haud verbis exprimi valet, quam magna invidia, ac odio Belgæ hanc statuam aspexerint, quamvis enim Albæ Dux judiciorum severitate, tributorum exactione, necnon labefactata privilegiorum, libertatum, & immunitatum auctoritate toti Belgio maxime gravis esset, nulla re tamen provinciarum in se, & Hispanorum nomini majus odium concivit, quam ex statua

Thuan. 68
Strada l. c.

Hiſt. Eccles. Tom. XLVIII. Aa po-

Sæcul. XVI.
A.C. 1569.

posita, cujus spectaculo assidue eorum oculis obversante sibi non tantum semel devicti, atque in ordinem redacti videbantur, sed quasi in æternam servitutem se raptos quotidie vinciri, & in triumphum duci existimabant.

Ipsimet Hispani hunc Ducis fastum reprobabant, eo quod is potius proprio quam alieno ore suam victoriam deprecari voluerit: præterea vix unquam in Hispaniæ aula sermo miscebatur, ubi non Rodericus Gomezus de Sylva antiquus Ducis æmulus præcipue *fidelissimi Ministri* titulum, quem sibi Albanus arrogaverat, sibilis, ac cachinis explodebat: quinimo hanc statutam ipsemet iniquo animo tulisse Philippus II. dicitur, qui & eam quadriennio post per Ludovicum Requesenem Magnum Commendatorem, qui Albano e provincia decedenti in Belgii præfectura successus est, amoveri jubebat, ut Rex tam Belgis complaceret, quam propriæ suæ cupiditati satisfaceret, regere ferens, quod in alterius gloriam erectum fuerit monumentum victoriæ, quæ tamen non nisi propriis ejus armis, atque sub illius auspiciis fuisset reportata.

§. LXXI.

*Novum vectigal in Belgio a Duce
imperatum.*

Albæ